

Alexius Philtrius (qui et Liubzhin) Inguari f.

## DE ALEXII JERMOLOVII PETRI F. BIBLIOTHECA LATINA

Claram posteritas vitam mirabitur eius,  
Cui rebus gestis gloria morte caret.  
Ceu Tacitus facta et pugnam descripserit heros  
Ac tegumen libro callidus ipse dabit<sup>1</sup>.

Alexium Jermolovium Petri f. (MDCCLXXVII–MDCCCLXI) tribunum militum omnibus bellis, quae Rutenia saeculo XVIIIo exeunte ac XIXo ineunte cum Polonis Persis Francogallis gesserit, militis fortitudine et ducis ingenio p[re] omnibus praecellere satis constat; doctrina quidem viri egregiusque erga Latinitatem amor indigna in obscuritate versatur. Cuius amoris monumenta atque trophya, primo, bibliothecam Latinam esse putamus una cum reliquis ducis defuncti libris Universitati Caesareae Moscovensi<sup>2</sup> ab heredibus venditam nec non supradictae Universitatis in aula usque adhuc diligentissime asservatam, deinde, *Commentarios*<sup>3</sup>, quorum exemplis fontibusque investigandis opera danda haud exiguum fructum philologis pollicetur<sup>4</sup>.

Quomodo et quando Jermolovius noster litteras Latinas didicerit, non satis compertum habemus. Et mirum est nullam, Michaelis Pogodin obsoleto libro excepto<sup>5</sup>, summi ducis vitam adhuc esse compositam; quod quidem certum est, juvenem in ludo litterarum Universitatis nobili educatum esse, ibi prima doctrinae fundamenta jecisse<sup>6</sup> atque quindecim

<sup>1</sup> Basilii Zhukovskij Andreeae f. *Ad Jermolovii imaginem*. Hoc epigramma versibus meis indoctis haudquaquam reddi potuit; quod non statim ignibus emendavi ac etiam legendos tibi praebui, da, clementissime lector, veniam!

<sup>2</sup> Alexius Scatebranus Rutenus (cui locis in difficilibus opusculi huius haud parum debeo ideoque gratias ago) sedem hanc Musarum non Universitatem, verum etiam Academiam Elisabetanam nuncupat; quae etsi rectissima esse video, tamen errore temporis utor.

<sup>3</sup> Editio novissima: Записки А. П. Ермолова. 1798–1826. М., 1991.

<sup>4</sup> Quorum in epigraphis et citationibus Vergilium Propertium Lucanum videmus.

<sup>5</sup> Ad Alexii Jermolovii Petri f. vitam conscribendam copiae litterariae, a Mich. Pogodin Petri f. collectae. Moscoviae, MDCCCLXIV. Алексей Петрович Ермолов. Материалы для его биографии, собранные М. Погодиным. М., 1864.

<sup>6</sup> *Descriptio brevis* (*Краткое начертание* учебных классов и вообще всего порядка, наблюдаемого при содержании Вольного Благородного Пансиона, учрежденного при Императорском Московском Университете. В Москве, в Университетской типографии у В. Окорокова, 1790) huius ludi litterarum anni MDCCXC (ut exemplum afferamus), quod tempus Jermolovio nostro

iam annos natum stipendia meruisse; anno MDCCXCIVo pro Varsovia expugnata eques ordinis St. Georgii IVi classis factus est, qui ordo omnibus Ruteniae claris temporibus maximi aestimabatur. Quid sibi Catharina regnante iuvenis nobilis pro decore militari sperare non poterat? Quis praemiorum finis virtuti erat constitutum? haec autem omnia longe aliter evenere. Post Augustae mortem pro conjuratione, de qua ne cogitaverat quidem, comprehensus, brevi in castello SS. Petri et Pauli Petropoli custoditus, postea Costromam in exilium missus est. Ibi ferunt ab eo archipresbyterum basilicae Costromensis Georgium Gruzdev Arsenii f. cotidie his verbis e somno excitatum: «Surge age, pater, Titus Livius iam diu nos exspectat»<sup>7</sup>. Postea vero, iam Paulo Primo mortuo, fama erat Jermolovium Caesari legendo ac interpretando operam dedit, cum temporum illorum Caesar alter in Aegypto Italia Alpibus saeviret<sup>8</sup>; interpretationum autem, etsi re vera factae erant, ne vestigia quidem inveniuntur<sup>9</sup>.

Linguae acies acutissima aliis dedecori, ipsi vero impedimento erat maximo. Ut quidam ferunt, Jermolovius armilustrio facto ab Araktschejew comite potentissimo, cum ipse centuriae tormentariorum equestrium praeesset (quod genus novum ac inusitatum esse his temporibus oblivisci non debemus, saepiusque quam semel aut bis pugnae eventum dubium vel perniciosum victoria mutavissem) ob equos fatigatos ac tormenta sine lege posita vehementissime notatus «En ipse, — inquit, — vir illustrissime, vides, quanta homo probus a pecude pati possit»<sup>10</sup>. Quamobrem gratiae loco habere debuit, se graviter oppressum quidem, non penitus

---

ad discendum est aptissimum, de lingua Latina tacet; quin copia cognoscendi autem in Universitate praesto fuerit, dubitare non debemus.

<sup>7</sup> Pogodin, p. 15. Cf. Dionysii Davydov Bas. f. De viris diversis, praecipue autem de Alexio Jermolovio Petri f. ἀνέκδοτα, in Commentariis de rebus bellicis. Moscoviae, MCMLXXXII, p. 317 (Денис Давыдов. Анекдоты о разных лицах, преимущественно об Алексее Петровиче Ермолове. В кн.: Военные записки. М., 1982). Alii hac in re Horatii Livii Taciti mentionem faciunt, ut Mi. Pylajev Ioa. f. in libro suo de miris capitibus notabilibus (Petropoli, MMI. Р. 124; М. И. Пыляев, Замечательные чудаки и оригиналы. СПб., 2001); a quo totum hoc ἀνέκδοτον longe aliter enarratur.

<sup>8</sup> Pogodin, p. 15.

<sup>9</sup> Alexander a Brigen, in epistula ad Bas. Zhukovskij die XIXo Junii anno MDCCCXLVIIi scripta «Ipse, — inquit, — Jermolovius celeberrimus Caesaris opera saepius in Rutenicum vertere conatus tandem destitit». V. Alexandri a Brigen Epistolas atque Opuscula historica. Ircuti, MCMLXXXVI (А. фон Бриген. Письма. Исторические сочинения. Иркутск, 1986), p. 223.

<sup>10</sup> Davydov, op. cit., p. 318–319.

tamen comminutum esse. Ipse autem crudi ingenii vir non tam sanguinis humani avidus, quam id imprimis metuens, ne clementia sua cuiquam ignavia videretur, vicum Polonicum, cum de Borussiae libertate cum Francogallis dimicaretur, globis incendiariis combussit, irrigorum receptus sui haudquaquam patiens. Quin etiam, Caucasi ferae gentes, quo dignitatis proconsularis nomen solum Jermolovio defuit, viri virtutem viridem funditus medullis senserunt: inter tot tantasque curas ad mancam oboedientiam puniendam semper vacabat, cuius rei testimonium ipsius *Commentarii* nobis sunt. Duodecimi vero illius anni, Rutenicis annalibus gloriosissimi, partem eum magnam fuisse nemo negat.

Nicolaus Primus potestatem adeptus Jermolovio minime confisus est. Quam ob rem dux strenuus intempestiva trahere otia coactus usque ad obitum — vitam autem ei Deus longam concedit — nullo iam officio functus est. Bello Taurico (quod a rerum scriptoribus Francogallis ac Britannis Orientale vocatur) militiae praeses a nobilitate Moscovensi electus honorem annis laboribusque exhaustus repudiavit. Vir meritis praecellens colloquiis cum iuventute selecta ac libris legendis delectabatur, quos in officinis suis ipse tegumentis chartaceis subornabat facilibus cognitu, et colorum varietate depictis et auro praeclaris.

Bibliothecae eius opimae multaque milia voluminum continentis (Trimalchionem haudquaquam imitatus tres, non duas habuit — Francogallicam, Rutenicam, Latinam dico) scriptorum antiquorum paene ducenta volumina pars minor sunt. Hos libros ad usum vitae, non ad exemplaria pretiosa colligenda comparavit<sup>11</sup>; omnes auctores, qui ad animum delectandum legi possunt, in tribuni militum bibliotheca haudquaquam desunt, praestantissimi vero, velut Cicero Livius Vergilius, multis in editionibus continentur. Maxima librorum pars XVIIIi atque XIXi saeculorum, id est ipsi coaeva aut parum ab aetate ejus distantia; saeculi XVIIi ex. pauca<sup>12</sup>, saeculi XVIIi in. vel XVIi per pauca<sup>13</sup>. Vestigia legendi in libris paene penitus desunt, nisi multae in Plauti editione lineae

<sup>11</sup> De Alcorano palaeotypo v. commentationem Demetrii Arapov Geo. f. quae «Quomodo Alexius Jermolovius Petri f. Caucasi Muhammedanos tractaverit» inscribitur (Nuntius Academiae Elisabetanae. Ser. Octava, Historica. MMI, N. 6, 51–62). Д. Ю. Арапов. А. П. Ермолов и мусульманский мир Кавказа. Вестник МГУ, сер 8. История. 2001, № 6, 51–62).

<sup>12</sup> Quorum omnes paene e serie ad usum Delphini.

<sup>13</sup> E. g. Ciceronis ac Demosthenis sententiae selectae. Item apophthegmata quaedam pia ex ducentis veteribus Oratoribus, Philosophis & Poetis, tam Graecis quam Latinis ad bene beateque vivendum, diligentissime collecta, quorum nomina in calce libri reperies. Parisiis, (I) I LXVI.

stile plumbeo ductae<sup>14</sup>. Possessorum priorum notas delendas putavit<sup>15</sup>, quarum vestigia tantum inveniuntur; nonnullae vero servatae sunt, quia comminui nequivere sine pulcherrimae imaginis chalcographicae damno. Maximos vero testes erga Latinitatem amoris perpetuae Ciceronis *De re publica* dialogum esse putamus nuperrime inventum<sup>16</sup> atque Vergilii *Aeneida* anni MDCCCLVIII, paucis annis ante mortem comparatam<sup>17</sup>. Hae quidem res diligentius investigatae non solum tribuni militum fortissimi vitae atque moribus, verum etiam totius Rutenorum erga Latinitatem studio explorando intersunt.

---

<sup>14</sup> M. Accii Plauti Comoediae. Interpretatione et notis illustravit Iacobus Operarius... Jussu Christianissimi Regis, in usum Serenissimi Delphini. Pars II. Parisiis, apud Fredericum Leonard Regis, Serenissimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographum viâ Jacobaeâ M. DC. LXXIX. Vol. I.

<sup>15</sup> In libro M. Annaei Senecae Rhetoris Opera, quae extant Integris Nicolae Fabri Andr. Schotti, Joh. Fred. Gronovii & selectis, & præterea Indice accuratissimo aucta. Accedunt Johannis Schultingii in eundem notæ & emendationes, hactenus ineditæ. Amst. Apud Danielem Elzevirium (I)CLXXII, v. III, vestigia notæ ereptae videntur atque pagina reparata. Nec suas quidem notas reliquit: nam *ex libris* lingua Francogallica *Alexis Jermoloff* rarius videmus.

<sup>16</sup> La République de Cicéron, d'après le texte inédit, récemment découvert et commenté par A. Mai, Bibliothécaire du Vatican avec une traduction française, un discours préliminaire, et des dissertations historiques, Par M. Villemain, de l'Académie Française. Tome premier. Paris, L.-G. Michaud, Libraire, Éditeur de la biographie universelle, des œuvres de Delille, etc. Rue de Cléry, № 13. M. DCCC. XXIII.

<sup>17</sup> L'Enéide traduite en vers français par Barthélemy. V. 1–2. Bruxelles, 1858.